



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 178. Clerici qui & sub quibus pœnis prohibeantur contrahere Matrimonium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

ita tamen, ut alter contrahens obligatus maneat ad præstandum modum, quo contractus est initus, v. g. si quis dicat: dono tibi equum, ut hoc vel illud facias, statim valet donatio, & donatarius seu acceptans illum tenetur implere modum. Unde modus talis, si non obstat substantiæ vel bonis matrimonii, relinquit illud validum.

2. Resp. secundò: Si verò modus appositus sit contrarius substantiæ matrimonii vel ejus bonis, vitari per hoc & reddi matrimonium nullum, tenent Sanch. L. 5. d. 19. num. 5. Cón. d. 29. du. 4. concl. 6. Laym. L. 5. tr. 10. c. 7. circa finem. Pirh. n. 30. Covar. l. c. 3. §. 1. num. 7. eò quòd generatim loquendo in omnibus contractibus, dum actu contrahens vult alterum obligari ad præstandum quidpiam repugnans ipsi substantiæ contractus satis significat, se non habere veram & sinceram voluntatem contrahendi; sine vera autem voluntate seu consensu contractus non subsistat. Contrarium tamen tenent Castrop. loc. cit. num. 3. citans pro se Sotum in 4. d. 29. q. 2. a. 1. & Pet. Ledes. q. 47. a. 5. du. 3. eò quòd modus consensus non suspendat, sed potius perfectum supponat; at consensu prælitò seu matrimonio perfectè constituto, nequit ex ullo modo dissolvi. Hinc si contrahas cum Maria, appposito eo modo

seu ea intentione, ut ipsa obligetur vitare prolem sumpto sterilitatis veneno, valere ait Castrop. matrimonium ipsa non obligata; quia illius obligationem non postulasti ut conditionem ad consensus, sed tuo consensu voluisti Mariam excitare ad eam obligationem subeundam, quam ipsa contractu admissò, prudenter rejecit, atque ex his patet, qualiter dignoscendum, an sub conditione propriè dicta seu suspensiva, an sub modo seu conditione non suspensiva sit contractum; attendendum nimirum, an v. g. donator voluerit donationem non ante esse validam, ac firmam, quam conditio sit impleta, & tunc præsumi esse appositam conditionem propriè dictam. An verò voluerit, ut statim valida sit donatio, sed donatarius obligatus sit ad aliquid postea faciendum, & tunc censeri debet sub modo esse factam. Pirh. nu. 32. Laym. loc. cit. num. 11. De cetero in hoc est paritas inter modum impossibilem vel turpem, non repugnantem substantiæ matrimonii, v. g. contraheo tecum ea lege, ut dones mihi montem aureum, vel ut patrem tuum interficias; & inter conditionem impossibilem vel turpem, quòd habeatur pro non adjecta, & relinquat matrimonium in suo valore.

TITULUS VI.

Qui Clerici & voventes matrimonium contrahere possunt,

Quest. 178. Clerici qui, & sub quibus pœnis prohibeantur contrahere matrimonium.

R Esp. Clericos non tantum solâ privâ tonsurâ, sed & Ordinibus minoribus initiatos circa dispensationem validè & licitè posse contrahere matrimonium, habet communis. Ita tamen, ut, si beneficiati sint, eo ipso amittant beneficia. Si verò Ordinibus majoribus seu sacris insigniti invalidè contrahant matrimonium, insuper excommunicationem & irregularitatem ipso facto incurrunt, pro ut constat ex c. 2. h. t. & Clem. unic. de consanguin. & affin. à quibus tamen pœnis ab Episcopo absolvi, & officio suo restitui possunt, dum dimissa uxore longam pœnitentiam egerint, vitamque laudabilem in continentia duxerint, ut dicitur cit. clem. & c. 2. & 4. h. t. Verum de his omnibus fusiùs & accuratius à me dicta, L. 3. de Cler. conjug. & sparsim in Indice ejusd. lib.

Quest. 179. Quæ vota simplicia impediant contrahere matrimonium.

R Esp. Qualiter votum ingrediendi religionem, suscipiendi Ordines, impediant matrimonium contrahi, dictum est supra q. 108. quòd Lectorem remitto.

Quest. 180. Votum simplex perpetuæ castitatis an & in quo casu dirimat matrimonium.

R Esp. primò; Votum simplex castitatis unâ cum cæteris duobus constituens verum reli-

giosum (quale est, quod emittitur in Societate JESU post biennium novitatus, dirimit matrimonium contrahendum, ut constat ex Bulla Gregor. XIII. Ascendente Domino, non tamen hoc votum dirimit matrimonium contractum ratum tantum. Laym. loc. cit. nu. 2. cum Sanch. L. 5. mor. cap. 1. num. 29. Valquez. 1. 2. d. 165. num. 10.

2. Resp. secundò: Unicum præterea casum, in quo votum simplex castitatis emissum extra religionem dirimat matrimonium contrahendum adducit Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 3. num. 5. dum nimirum uxor in sæculo continentiam vovens marito dedit licentiam suscipiendi Ordines; tunc enim viro defuncto ne quidem validè ad secundas nuptias transire possit. Citat pro hoc c. quia sunt. dist. 38. (quod est Gregor. I. l. 11. epist. 59.) & ibi Gl. v. fuisse. Item c. seriatim. dist. 32. Abb. in c. constitutus. de convers. conjug. num. 6. Azor. Tom. 1. l. 13. c. 14. q. 11. Sanch. l. 7. de matr. d. 40. Palud. in 4. d. 38. q. 2. a. 5. contra Sotum. l. 7. de just. q. 5. a. 3. solut. secund.

Quest. 181. An votum solenne castitatis, nimirum emissum vel in professione religiosa, vel susceptione Ordinum sacrorum (præter quæ duo non dantur alia vota solennia. c. unic. de voto. in 6.) an & qualiter dirimat matrimonium contrahendum.

R Esp. ad primum: Votum solenne emissum in religione approbata dirimit matrimonium

niium